

DE ÆTERN. CONV. OECON. EX EZECH. XXXIII. II.

tum testatur; tum qvia Impiis Israelitis hec verba conversionis offeruntur, *Dic adeos, nim. Impios Israelitas*; tum qvia talibus impiis Deus, sub fide juramenti, desiderium conversionis promulgat; tum qvia conversionis præceptum ad impios dirigitur; tum qvia, juxta conversionis rationem propriam, impius viam suam deserere, *Dei viam eligere, viam mortis vitare, viam vitæ sectari* jubetur. Vel *Finis cuius*, qui dicitur vel *negativus*, nim. *Mors, vel mortis evitatio*, sicut Deus inquit: *Nols mortem, nec morte deleto impii*: tum *Quare moriemini Domus Israel?* Sic igitur per veram Conversionem omnes impii mortem, in primis spirituali, & consequenter æternam effugere debent: vel est *positivus*, nim. *Vita*, tum qvia Deus convertens, se vivere testatur, adeoq; nos etiam vult vivos, q. d. *Ego vivo. Et vos vivetis*, sicut Christus dicit, Joh. XIV. 19. tum qvia peccator per conversionem à morte liberatur; jam qvicunq; homo non est mortuus, ille vivit: tum qvia diserte dicit Dominus, qvod vera conversio tendat ad vitam.

21. *Eminenciam* denique hujus *Oeconomias* æterne *Conversionis* conspicimus in illustrissimis proprietatibus, quoniam dicitur haec *Oeconomia*, (1) *Divina*, qvia Deus eam ab æterno constituit, & in tempore per verbum suum promulgavit. (2) *Certa*, qvia hic Deus eam juramento stabilivit, & omnes peccatores certissimos reddidit. (3) *manifesta*, qvia nunc in verbo, seu per verbum perspicuum promulgata, cum nihil obscuritatis in Oraculo praesenti reperiatur. (4) *Gratuita*, qvia peccatorum, vel impiorum est, qui, juxta praesens Oraculum, converti debent. (5) *Catholica*, qvia cunctis impiis, vel peccatoribus destinata, dum nullus eorum simpliciter ab hac *Oeconomia* *Conversionis* excipitur. (6) *Jucunda*, dum *moris* affert remedium. (7) *Frustra*, dum genuinum dicitur *vita spiritualis*, consequenter etiam æternæ, medium. (8) *Necessaria*, qvia si Deus per æternam *Oeconomiam* nobis conversionem non destinasset, nec eam in tempore per verbum executus esset: jam autem qvoad executionem ostenditur hic *necessitat precepti*, *medii, scopi. &c.* (9) *Facillima*, qvia Deus ipsemet operatur, (10) *Salutifera*, qvia nobis vitam internam, & æternam offert.

Coll. Diss. A 162, page 7